

D. D.

1943

MORBI  
EXPEDITIONIS  
CLASSICÆ MDCCCLVI,

QUOS,  
CONSENS. EXPERIENT. FACULT. MEDIC.  
IN ILLUSTRI ACADEMIA UPSALIENSI,

MODERANTE  
VIRO NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO,  
**Dn. Doct. CAROLO LINNÆO,**

EQUITE DE STELLA POLARI,  
S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRO,  
MED. ET BOTAN. PROFESSORE REG. ET ORD.  
ACAD. UPS. HOLMIENS. PETROPOL. BEROL. IMPERIAL.  
LONDIN. MONSPEL. TOLOS. FLORENT. SOCIO,

PUBLICO EXAMINI COMMITTIT  
STIPENDIARIUS PIPERIANUS,  
**PETRUS BIERCHEN,**  
HOLMIENSIS.

IN AUDIT. CAROL. MAJ. D. XVIII MAJI,  
ANNI MDCCCLVII.

H. A. M. S.

---

UPSALIÆ, Excid. L. M. HÖJER, Reg. Acad. Typogr.

VIR<sup>E</sup>  
 GENEROSO NOBILISSIMO que  
**D:NO J A C O B O**  
**MÖHLMAN,**  
 PLURIUM RERUM METALLICARUM POSSESSORI  
 DIGNISSIMO,  
 BENEFACTORI ET PATRONO  
 VENERANDO.

In me omni ex parte nevercam hanc fuisse fortunam  
 toties reor, quoties vinculi ejus meminisse soleo, quo  
 & cognationis decus & beneficiorum Tuorum magni-  
 tudo me Tecum conjunxit. Multiplici Te nomine,  
 Vir Nobilissime, eisdem veneror; nam & posse Te,  
 & velle de me optime mereri abunde demonstrasti.  
 Quid igitur aequius, quam ut hanc chartulam, gra-  
 tissimi significatricem pettoris, caro ita nominis dicatam  
 velim & consecratam? Dum enim vitam vixero, vi-  
 vam

GENEROSI AC NOBILISSIMI  
 NOMINIS TUI

Cultor devotus,  
 PETRUS BIERCHÉN.



## D. D.

### §. I.

**I**N clasie Svecorum Regia, mare Germanicum, anno superiore MDCCCLVI, circumnavigatura, Medicus classicus constitutus, suscepto hoc quicquid est muneris, & quidem Mense Augosti, mille circiter & nongentorum, qui morbis laborabant, classiariorum numerum, primo statim aditu, computabam, illorum nunc ratione non habita, quos serpens indies contagio miserorum agmini adjungebat. Mox igitur primam hanc curam meam esse duxi, ut in caustas & natales mali diligentius inquirerem; quo securiorem & prudentissimo cuique maxime probatam illud arcendi viam postmodum, facilius ingredere. Neque fefellit qualemunque hoc consilium. Fruetus vero & commoda, quæ ex assidua illa cum ægro-

tantibus conversatione & quam mihi injunctam putavi, quotidiana observandi solertia, ipsem et percepit, tanto minus jam dissimulare fas esse arbitror, ut potius, editurus in lucem, exiguum quodpiam, quale nostrarum est virium, ingenii specimen, illis rem haut ingratam me facturum sperem, qui simili olim in officio, cum tempus & occasio sic tulerit, versabuntur. Ita enim & actum agere supersedebunt, & experimenta experimentis confirmare, vel augere, jucundum sibi pariter ac levem existimabunt laborem.

## §. II.

Vix ad obeundam, cuius nuper mentionem injeci, provinciam me accinxeram, cum graflantium in bellicis illis navibus morborum tres in primis familiæ sive ordines mihi fistebantur. Ad primum DIARRHOEAS referre liceat, easque ut plurimum *incruestras*, cum horrendis tormentibus, prostratione virium summa, febre itidem debilique summe pulsu.

*Proximum* hic locum FERRI UPSALIENSI, communiter sic dictæ, ipsique hodie vulgo notissimæ, concedimus, quæ alias *Amphimerina catarrhalis maligna*, *Febris mesenterica*, *nervosa anglorum*, quin immo *stomachalis* plerumque appellari sivevit. Hujus autem duas, quod fatendum est, epidemias observabam; quarum altera, urgente æstatis calore, incipiens ad fine mensis Augusti durabat, meque ad classem adventante maxime sæviebat. Erat hæc acutior & funestioribus symptomatibus stipata, hæmorrhagia scilicet narium in II:o stadio copiosa & absque leva-

levamine, pertinacissima, pulsu debili, vacillanti & ocelri, delirio taciturno, tremore lingvæ, subsultu tendinum, ut & fortioribus motibus convulsivis totius corporis, turditate vero in Stadio III:io & IV:o, quibus petechiæ apud nonnullos & vibices accedebant.

Altera, quam autumnalem dicimus, magis lenita fuit cum dolore & lassitudine totius corporis spontanea, vertiginoso & tensivo capitis dolore, tussi & oppressione pectoris dolorifica, cardialgia cum naufea & vomitu levatorio conjuncta, urina turbulentia sedimento farinaceo, ut & saepius retenta & ad declinationem morbi sanguinolenta; Aderat summa prostratio virium, pulsus debilis, subsultus tendinum, & apud plurimos sub initio morbi fluxus alvi gravis & pertinax.

*Tertio* ultimoque loco SCORBUTUM nominamus, qui junctus, in prima epidemia, erat cum ulceribus cacoëthicis, doloreque artuum osteocopo, in progressu autem sine ulceribus fuit cum summa lassitudine spontanea, tumore pedum edematoso, dolore artuum, calore interno externeque adurente, foetore oris & constitutione cachectica.

### §. III.

Ut cuivis a Natura plantæ sua, quibus contineat obolescat, semina sunt tributa; ita morbum frustra quis in medium produixerit, cuius præcipua quedam, unde ortus sit causa, non erit adsignanda. Cognita igitur illius indole, hujus cum primis rationem

nem habeamus, ut plana ejusmodi facilique via species morborum recte constituantur; neque eidem malo, ex diversissimis saepe fontibus oriundo, circumforaneorum more, unam semper meditemur curationem. Millena quidem perversae hujus medicinae, quam agyrtarum merito dixeris, omne ævum tulit exempla, sed totidem dolendos juxta effectus. Nomen ergo suum, si modo juste Medicus quisque, ut decet, tuebitur, partes suas, felici cum successu, peracturus, & morbum, & caussam ejus rite cognoscat, qua sublata & illum tolli in promptu est. Hujus rei probe memor id præfertim, dum licuit, egi, ut *cauffas*, quas jam exhibeo, morborum sedulo indagarem. Sunt vero harum, ut vulgo distingvi converunt, aliæ *prædisponentes*, aliæ *propriae* & principis idcirco considerationis. Illæ, ut ex vocabulo proclive est judicatu, corpus unius hominis præ altero ad contagium admittendum disponunt & quasi præparant, licet ingruentis rationem morbi, veram quidem & quam philosophorum ore sufficientem nuncuparemus, nullo modo in semet continere putentur. Sic nempe, qui exhausti quomodocunque & debilitati est corporis epidemica quadam lue facilius contaminatur, quam qui robustior est & facilius perspirat; ita tamen, ut effecta illa corporis constitutio, pro genuina contracti morbi causa minime sit reputanda.

*Propria* morbi cuiuslibet causa, aut *proxima* est aut *remota*. Illa immediate ut ita dicam, effectum producit, haec nonnisi e longinquo agente. Rem exem-

exemplo declaremus. *Causa proxima* Pleuritidis stagnatio & coagulatio sanguinis in vasis minimis arteriosis, ejusque in venas impeditus transfluxus, habetur. *Remota* autem, aërefrigidus & humidus, qui solidas corporis nostri partes stringit, & globulos sanguinis adunat, esse sæpenumero animadvertisimus. Sic in scorbuto, *causa proxima* est corrosio fibrarum & vasorum minimorum lymphaticorum, *causa autem remota*, salia sunt hanc ipsam corrosionem efficientia.

*Proxime* morborum causæ, difficilius detegendæ, tæpe nos latent; vel saltem aëcipi subsunt conjecturæ, unde tot dissidentes apud auctores de iis reprehendimus opiniones, cum sensibus nostris in ultimos causarum fontes penetrare datum non sit. Contra remotæ illæ, longa sedulaque observationum indagine, in apricum velut ducuntur, & pro diversitate causarum, species morborum recte curantur.

#### §. IV.

**SCORBUTUS** nostrarium, præsertim si vulgum spectes, e salibus plerumque originem trahit, quibus, pro indole telluris & hiemis, carnes animalium servare cogimur, cum ratio faciendarum impensarum usum recentium carnium non semper permittat. Hinc ab infantia inde salinis adsuetus, unde insulsa fere nauseam & fastidium creant, & stomachus, condimenti hujus stimulo destitutus, in functione sua penitus torpescit. Salia in corpus nostrum admissa alimentum quidem nullum præbent, sed in minimos soluta crystallos mastam sanguineam ingrediuntur, a qua,

qua, ne corpus corrodant, per vias urinarias sunt excernenda. Hanc ob causam agricolæ, quotidiana inter labores motione, qua omnes in primis excretiones promoveri solent, fruentes, valetudinis non facile jaeturam patiuntur; accedente autem sedentaria vita, retenta mox salia vim suam exserunt & corpora eorum, scorbuti nomine eunt destructum.

Si dubiam hanc rem, & minus exploratam quis crederet, sexcenta eam mihi exempla inter nautas & milites degenti, testatissimam fecerunt. Tenuiori illo cibo & parum nutriente, in laboriosissima tamen, qualis rustica est vita, vivendi ratione, adsveti, avium instar, caveæ illigatarum, summo tantum non otio devovebantur, & nullo caloris, nullo denique respectu quietis habito, salita quotidie, carne lardoque ad satietatem usque summam velcebantur. Quid igitur mirum, si scorbutica lue vieti, fœde palleferent, & fœtidum os gestarent, augentibus hanc calamitatem ulceribus cacoëthicis, cedemate pedum, dyipnæa, cum univerla signorum scorbuti syndrome.

Difficillima eorum curatio erat, qui corporis motione carentes, in dies singulos, ex ipsa causa morbi sui visitarent. Quod si, fancita ægrotantibus illis, alia diæta, resumitis denuo paululum viribus, sanorum numero adscriberentur, cum ipsa virtus spe, pristinam iterum vitam inchoabant; quo factum est, ut opinione citius, in eam, ex qua vix elapsi erant, miseriam rursus relaberentur. Hic morbus, ut & ceteri, infensor ipsis, in oris maritimis, quam in alto pelago, est hostis; nam, datis vento velis, & navis quasla-

quaestione &, quo tunc in primis occupantur, operc  
fortius moventur, unde etiam ad Indiam orientalem  
navigantes, constantibus inter tropicos ventis, a scor-  
buto plerumque immunes sunt, qui tamen maxime  
eos adgreditur, cum sedato mari & navi nulla vi ven-  
torum acta feruntur. Idem nostratisbus, statione u-  
tentibus, accedit, quorum, cum X ad XV, in mari-  
timo cursu, singulis diebus, in classe universa, mor-  
bis corriperentur, occupato portu, prælertim apud  
Gotheburgum, XXX, XL, quin immo L, in ægrotan-  
tium quotidie numerum accedebant, qui tamen ma-  
nifeste minuebatur, ut primum se mari denuo com-  
mitterent. Inde nullo appareat negotio, quam utile sit,  
& quoque necessarium, ut classes tali expeditioni de-  
stinatae, stationes, uti pestiferas evitent, vel saltem  
appulsiis ad littora navibus, nautæ in continentem se,  
quavis data occasione, recipiant, quo & corpora mo-  
vendi, & libero aëre fruendi ansam nanciscantur.

Dani, binis istis mensibus, cum nostros in Flec-  
ker-ø Norvegorum operirentur, suos quotidie ex-  
scendere siverunt, iisdem quoque sub tota expedi-  
tione illa, satis belle erat.

In triremibus (*Galerer*) degentibus, quibus ea-  
dem atque nostris classiariis, alimenta præbentur, e-  
andemque cum hauriant auram, rectius tamen sem-  
per valent. Tantum vero valetudinis unde discriben?  
Ratio in promptu est. In ramos hi & vela, ingenti  
cum labore, interdiu, & quidem tub dio incumbunt;  
cum autem ad vesperascit, nullis locorum angustiis  
clausi, terra puroque aëre libere utuntur.

## §. V.

Neminem vero fugit, *olera & recentia vegetabilia*, scorbuticis optima sanitatis remedia esse, cum salia eadem neque tanta copia ingrediuntur, neque diu retineant, ut pingues illi & carnium cibi; qua propter consultissimum judicamus, ut saluberrimā hæc alimenta, quam diligentissime, dum occasio sic tulerit, usurpent, motione ad littora deficiente a).

## §. VI.

a) Scorbatus heic eo difficilius dispelli poterat, quo ægrius commoda aliqua diætæ ratio, in summa recentium vegetabilium penuria, præfiniebatur, cum neque ad curationem instituendam, præter species antiscorbuticas siccas, quidquam suppeteret. Inter medicamenta, quæ contra hunc morbum præscribebantur, maxima in armoraceis & acidis virtus sita fuit, non illis solum, quæ sub nomine aceti prostant, sed in acido præsertim Vitrioli, quod dupli cauffa iis præferri meretur. Nam, si sufficienter dilutum, vice potionis, quotidie usurpetur, non solum acalefcentiam humorum corrigendo, sed consistentiam quoque sanguini nimis resoluto restituendo, vim suam exserit. At vero, cum justa, in hoc morbo tollendo, diæta utramque faciat paginam, consultissimum, quin immo summe necessarium duco, ut sufficiens Brassicæ conditæ copia, sub tali expeditione, nautis asservetur, quæ & comparari & conservari facile poterit. Efficacissimum autem hæc, contra malum scorbuti cibum, quotidiano usu præbet, ut non solum morti affines, cum valetudine in gratiam redeant, sed illi etiam sanī serventur, qui ab isto adhuc morbo alieniores deprehenduntur. Cujus rei, ob diurnam experientiam dignissimus fide testis est Nobilissimus PRINGLE Medicus anglorum castrensis primarius.

*Lardum* igitur maxime nutrientes cibos merito suo numeratur, qua propter priscis etjam athletis, quorum in viribus & robustis lacertis, summa fuit laus, continue edendum porrigebatur. Commodissimum igitur hoc alimentum sub fortissima putamus motione, longe vero perniciosissimum iis omnino, qui hac ipsa prorsus destituuntur. Quam propter causam, me non monente, quivis statim intelligit. impetum maris & ventorum sustinentibus, ubi continuo detinentur labore, salutarem lardi usum esse, cum vires contra & valetudinem eorum idein cito proternat, qui malacia & portuum tranquillitate fruuntur. Transpirationem quippe impedit, fibras laxat, corpusque ad attractionem pronissimum reddit, unde etjam ad febres intermittentes & remittentes proclivibus, nocentior nullus cibus jure censetur. Quod si e febre quartana convalescenti, succidiæ etiam permittas, quin profligatum, in morbum denuo implicetur, experientia toties edocti, nulli dubitamus. In omnibus morbis contagiosis, lardum noxiūm esse, corpusque nostrum plus ceteris quibuscumque ad attrahendum contagium disponere deprehendimus, ut etjam scabie infecti augmentum inde mali sui persentiant. Neque historia nos medica ignorare sinit, nefarios aliquando Vespidones eo immanitatis processisse, ut segmentum lardi, ori peste agonizantium ad motum facculoque inclusum illis, instar amuleti vendiderint, quos contaminare voluerunt. Sed vero, præterquam quod omnes excretiones & inprimis

transpirationem, lardum reprimat & idcirco scorbuto affectis vehementer noceat. Sordes etjam & cruditates in prima digestionis officina relinquit, unde rancor humorum ibi obviorum, fibrarum laxatio & debilitatio, unde tanquam causa trigæ morborum a nobis descriptorum, jure haberri potest. Quod cum ita sit, in clasfe ejus nunquam usus admitti deberet, nisi fanis nautis inter fluctus aestumque maris opere suo perfungentibus.

Mirari ergo non convenit, infeliciori nostrates fato pressos fuisse, quod in portu tantum non semper & otio segnescerent. Quoniam vero, ut sepius diximus, fibras totius corporis, lardum laxiores reddit & omnium ciborum tardissime transpirat, simulque constat, cacheticos omnes & nostalgia laborantes, qui ceteros ægros multitudine vincunt, ex his principiis malum suum contrahere; quin hoc quoque respectu, caro porcina damnari debeat, nemo non intellexerit b).

### §. VII.

---

b) Similem Angli, superiori æstate, calamitatem perpessi sunt, Gallis optima & valetudine & fortuna utentibus. Inter alias forte ejus rei rationes, hanc etjam præcipuam ducimus, quod illi, nostro more, carnium ut plurimum alimentis vescantur, ita quidem, ut, sub militari quoque expeditione sua, omnem fere his constare comneatum percipiant. Galli contra ut plurimum vegetabilem esca contenti, utpote cui, a puero inde, assvescant, suæ a carnibus abstinentiae adscribere debent, quod raro cum illa morborum phalange pugnare cogantur, qua & nostrates & angli profligati fuerunt.

## §. VII.

Ad alteram jam classem morborum, Febres puta exacerbantes, cum primis vero **AMPHIMERINAM** illam pervenimus.

Harum causa, causae febrium intermittentium valde affinis quidem nobis videtur. Eoque id magis, quod Amphimerina, cum lenioris est indolis, typum intermittentis induit, eamque præ se faciem fert & quidem vice versa. Haec raro debitorum ope medicamentorum in eam commutatur, iisdemque levatur & solvitur remediis c).

Ex humido nimis, corrupto frigidoque aëre, dum corpore hauritor, transpirationique obicem ponit insensibili, perspirabilique hocce retento humidoque attracto, eam præcipue progigni, vero est simile.

E staticis enim edocemur, corpus continue nostrum insensibili modo perspirare debere, si valetudo erit tuenda, protractamque perspirationis hujus suppressionem, maxima ex parte, ea excitare symptoma,

c) Digestivis videlicet remediis, Emeticis & Laxantibus, dieque ad noctem vergente, Camphoratis, quibus, habita ægrotantium & rerum circumstantium ratione, Diaphoretica leniora addebantur. e. gr. Sal C. C. succinatus; at vero ad stadium morbi & declinationem, ubi, viribus vite deficientibus, pulsus summe debilis, parvus & fluctuans erat, summo cum fructu excitantibus illis & solventibus salinis HUXHAMII & RIVERII scilicet e sale volatili C. C. & acido Vitrioli, loco limonum succi, ut & sale Absinthii vel Tartari acido vitrioli saturato, Chinatis vel salinis hisce, vel Rheo, vel Diaphoreticis junctis. Emeticis etiam solis, multi sanabantur.

mata, quæ huic febri sunt propria. Neque etiam ignorare quemquam credimus, tempore æstivo, post copiosiora transpirationis sensibilis effluvia, corpus magis, quam alias bibulum esse; hancque attractio nem madidi impurique aëris morbum hunc equidem efficere arbitror. Hinc ratio patet, cur illi præter ceteros eidem deprehendantur obnoxii, qui in aëre hujusmodi diu sæpiusque sunt versati. Causa autem prædisponens in corpore bibulo erit quaerenda, sive a morbo quopiam prægresso, perverfa diæta, peculiari habitu, sive alia causa, id ita sit constitutum. Hujus rei satis luculenta, mihi præbebantur exempla in nauticis, qui, caussis hisce prædisponentibus præsentibus, postquam majorem noctis partem, excubiis consumsissent, idque in humido, frigido impuroque aëre, illicisque peractis, mox, sub umbraculum navis, ubi aër longe erat corruptior, in udis vestibus, per noctatum ivissent, postera plerumque die, febre isthac corripiebantur.

Ad prædisponentem causam etiam pertinet, quod nautæ, ii præsertim, qui *Rote-båtsmän* vocantur, unicam solum tunicam, quin immo si plerosque respicias, unum, vel forte bina indusia possideant, qui huius amicti & excubias agentes, quasvis aëris injurias sustinent, transpirationem a suppressione, seque a frigore & humidi attractione defendere non posunt, & postmodum probe madefacti, discubitum eunt. Cui tanto malo optime consultum foret, si pro singulis navibus, certus numerus tunicarum indusorumque pararetur, ut esset, quo, & frigus, & humectationem,

&amp; for-

& sordes, in primis cum morbis afflentarentur, arere miseri valerent.

## §. VIII.

Utrum hic, de quo disserimus, morbus inter contagiosos referri merito possit, aliis dijudicandum relinquo. Fieri facile potest, ut ex contactu luem contraxisse ii existimentur, qui in eodem loco, eisdem communibus caussis, unde vitium sanitatis propullulat, fuerint expositi. Dissimulare tamen non decet, præsertim in ardore æstatis, cum febris malignior evadit, petechiisque efflorescit, illius tunc exanthemata, communem exanthematum servare naturam; quare etiam longe utilissimum censemus, ut gravissime in primis frebricitantes, a consortio sanorum removeantur, vel saltem, ne iis cibum capere ibidem loci permittatur, ubi ægrotantes decumbunt. Si quid enim contagiosi adsit, cum cibo & saliva, id haut mora deglutitur, impetumque mox suum in contaminatos ex more prodit d).

## §. IX.

---

d) Vel eo quoque nomine notabilis admodum hæc eadem epidemia videbatur, quod stadium hujus febris IV. apud plerosque cum inopinato ac vehementi rigore, vel saltem horrore totius corporis oriretur, comitante dolore capitis acuto atque pulsante, quem mox calor, æstus fitisque insignis, cum mutatione pulsus a summa debilitate ad plenitudinem, insequebantur. Nunc per spatium horæ, nunc breviori intervallo rigor iste capitisque dolor vigebat, non aliter, atque in febribus intermittentibus ordinariis, fœse gerens. Nihil igitur mirum, si graviora hæcce & nova morbi indicia, tanquam mortis prænuntia, vehementer ægroti extimescerent. Quo tamen me-

Demum quod ad DIARRHOEAM attinet, plures ad eam gignendam causæ concurrunt. Exploratum dudum

tu, post aliquot horas, liberabantur, universali sudore accedente, qui & symptomata & morbum ipsum feliciter profligabat. Impetum quidem intermittentis cuiusdam febris, statas vices servaturæ, mox opperiebantur, sed frustra, appetentia cibi viribusque sensim redeuntibus ipsaque sanitatem indies magis magisque restituta. Quod si rigoris illius, cuius mentionem injecimus, IV:um stadium ab initio expers fuit, & exauctam inde morbi longinquitatem vidi, & durationem ipsius stadii ad binas usque vel ternas hebdomadas. Durissima vero illorum fors erat, quorum aduersa a Diarrhoea valetudo oriebatur, siquidem continuata hæc ipsa, dum morbus obtineret, eos ita maceravit, ut per plures menses, vires resumere non valerent. Neque e lecto emergentes, gerentesque sanorum personam, æquali temporis intervallo a pulsu pulsui hectocorum simili siccoque volæ manuum ardore, obstruktiones viscerum significantibus, liberari poterant. Quibus vero, nova febriculæ illius accessione remissio morbi contigit, eorum quoque confestim lingua debitum & naturalem induebat colorem, cum ceterorum contra, alba ista vel flavescente pituita sensim evanescente, sangvine velut suffusa, direpta quasi cuticula, videretur, eum in morem, atque post aphtas fieri plerumque solet. Quibus, tempestivo debitorum medicamentorum usu intra V:um, VII:m vel etiam IX:m diem febris memorata accelerabatur, carent satis, ne iterum in depulsum morbum reciderent, cui præter ceteros, admodum patebant; ita quidem, ut exempla mihi illorum fisterentur, qui bis aut ter, recuperata valetudine, denuo in febrem complicarentur, rotidemque vicibus memorabilem crīsin, quam antea nominavimus, experirentur.

dudum est, ubi quis, vel perniciōsum aliquem cibum, vel majori quidem quantitate, quam ut vires vitæ eidem sufficientant digerendo & expellendo, eum statim corrumpi, acescere nempe aut rancescere & apud fortissimos etiam, tormina cum borborygmis atque alvi solutione efficere. Præterea plus alimentorum, qui in laboribus vivunt, quam, qui in quiete, consumunt, motionique adsueti, si eadem destituuntur, citius cibis gravantur. Idem nauticis nostris eveniebat, qui in laboribus & mensæ pauperculæ nati, jam, quasi in saginario, copiosiori ventrem esca distendebant, omni fere, quo digerenda erat, motus exercitio carentes. Ex diæticis constat, si phytivorus, diæta mutata, carnivorus fiat, ventriculum inde totumque corporis systema detimento affici, diarrhœamque inprimis excitari. Sic gens Israelitica in deserto a manna ad abundantiorem usum perdicum deflecentes, muscarum instar, eodem forte morbo occubuerunt.

Qui ad Indiam orientalem navibus proficiscuntur, duris tantum sub longo itinere cibis usi, cum, curiu maritimo peracto, in terram appulerint, si dulcissimis & in se alias saluberrimis, qui ibidem periuntur, fructibus copiose vescantur, dysenterias sibi cholerasque aliaque mala attrahunt; quare etiam ab exquisitissimis hujusmodi epulis severissime prohibentur. Eandem ego fabulam a nostratisbus actam vidi, cum duriori cœnæ adsueti, ad Norvegiam astutam halecum recentium parvi emerent, quas semicoctas sæpe, mox iucunde comedentes, diarrhœas

rhœas cruentas & incruentas sibi, satis commode ante valentibus, & febres stomachales accelerabant.

Nemo tandem ignoraverit, diarrhoeas hasce, ibi locorum in primis pertinaciter fævire, ubi multitudo hominum in exercitium cogitur, sive mari sive terra id fiat, cuius rei vel hanc rationem manifestam esse autumamus, quod putredine & fætore excitentur. Unde etiam Mosaica lege præceptum fuit, ut quilibet militum, felium exemplo, excrementa sua humo obtegeret, ne ejusmodi putredo existeret; quam hodienum sanctionem populi orientales & Mamedani, magno suo bono sancte custodiunt. Quotidiana vero experientia commonstrat, ubi alvi ejusmodi profluvia locum obtinuerunt, contagium ab altero in alterum facillimo serpere negotio. Morbus igitur, quem diximus, non fætido solum ad littora & in navibus odore, sed contagio etiam propagatur, qua propter in eam proclivis sum opinionem, nautas illos, qui, me accedente, ex dysenteriis & diarrhoeis prostrati jacebant, sub plurium statione hebdomadum, triplici ex hoc fonte virus suum hauisse.

Cum igitur in hunc morbum quidam incurront, & nihilominus claustris locorum magna hominum vis continetur, non potest non aër inde infectus fieri, quo sit, ut sani cum ægrotis sociati, uno plus modo afficiantur. Hac ratione id consilium dedi, ut gravissime ægrotantes, in peculiarem navem, illis dicatam, translati, a ceterorum societate disjungentur. Quo ipso hoc simul obtinebatur, ut angustiæ, quas

quas sub parada, infirmorum lecti efficiebant, minuerentur, ut facilior fieret decubentium cura.

## §. X.

Binæ ceteroquin causæ sunt generales, omnium ejus generis expeditionum indivulgæ comites, quæ militarem multitudinem diro hujusmodi fato, aut præparant aut etiam devovent, *Nostalgia* videlicet *impurusque aëris*. *Nostalgia* licet vulgo non attendatur, heic tamen præcipuam velut sedem habere videtur. Nauta enim a domo & coniuge & liberis, a reliquis omnibus, quæ cara cententur, distracti, in elatis præterea locis aridisque nati & educti, ubi puro liberoque fructu sunt aëre, mutata jam scena, in depressioribus, maris inter vapores, vivere coguntur. Idem, apparatu tenui, multo autem corporis exercitio usi, largum jam statis temporibus victum & quietem nanciscuntur, opinioneque celerius *Nostalgiae* malo tanguntur, similiter tere atque Sveci nostri & item Helveti, cum ad Hollandiam commigraverint, ubi nulla huic morbo medela, nisi quæ in fortiori corporis motu sita est. Ubi vero vis morbi hujus invaluerit, transpiratio indies magis magisque extenuatur, & humores, per consuetos e corpore meatus exitum molientes, jam residui, per alias vias eadem quantitate evacuari non possunt. Sed quoniam excrementii sunt, & hoc modo tamen quotidie auggentur, corpori vehementer nocent. Per moram sensim plus plusque corrupti, viscidi & immeabiles sunt vasisque in minimis stagnant. Hinc plenitudo & gravitas, ejusque in toto corpore sensus; hinc dolor

lor capitis totiusque corporis gravatus; hinc debilitas, lassitudo, cardialgia, inappetentia, nausea, vomitus, diarrhoea, dolor intestinorum, & tandem funesta illa febris, quam ante nominavimus, melenterica vel amphimerina. His accedit, quod homines sic ad morbum dispositi, non solum humidi aëris vel minutissimum attrahant, sed perniciosos etiam & putridas exhalationes, quarum in navibus ingens est copia.

## §. XI.

Præcipuum igitur nunc fontem indicaste mihi videor, funestus unde ortus morborum, quibuscum nautæ conflixerantur, promanarit. Hinc quoque juxta patet, præter laborem, nullum Nostalgiae tutius fore remedium, quam ut animi langvidorum erigantur. Rerum innuo consideratione eo dignorem, quo certius est, decuriatis nostris, (*in roterade båtsmän*) præter vietum qualemcumque & vestitum, sub tota illa expeditione, periculosa satis & molesta, nihil remanere mercedis & incitamenti. Quo idcirco fit, ut animum & alacritatem despondeant omnem suumque officium, quo funguntur, non militiam, sed captivitatem fere ducant, huic itaque morbo tanto viciniores. Observatu iucundum fuit, eos, qui mercede conducebantur (*enroullerade och förbyrde båtsmän*), quorum lautiora sunt stipendia, meliori & animo, & valetudine gracilantibus morbis restitisse, facilioremque longe expertos fuisse medicinam. Quocirca optandum omnino esset, ut majora statuerentur illis operum præmia, quorum spe & emolumento

tati, & vitam & labores suos magis æquanimiter tolerarent.

### §. XII.

*Altera æque communis morborum causa, in corrupto illo & intercluso sub parada aëre, sita est, cum hec loci quadrinventi tæpenumero, pluresque, quot capi possunt, homines, supra subterque ad latera, halecum instar, stipentur.*

Sex rerum non naturalium, principem AERI locum tribuimus, utpote, quem, in hanc lucem editi, primum haurimus, quoque destituti, ne momentum vitam vivere valeremus. Non candelæ, quæ sine aëre exstinguitur, is magis, quam nobis, est necessarius. Animantes enim omnes ita respiratione aëris sustinentur, ut loco quopiam, quem spiritui introire non datur, inclusi, mox animam ponant, postquam circumscriptus ista regione aër pulmones omnis permeaverit: eoque id magis, quo certius est, receptum semel pulmonibus aërem & emissum, si iterum in eosdem redeat, puro licet intermixtus, damna afferre. Sive ex mente physicorum, elasticitatis suæ in pulmonibus jacturam is faciat, sive alio hoc fiat modo, nobis incertum, rem tamen ipsam longa jam dudum experientia comprobavit. Neque vero ignoramus, pingvem & concretum pestiferis exhalationibus aërem excrementorumque rancore fœtidum tantum nobis officere, quantum tenuis ille purusque prodesse solet: unde etiam homines in regionibus degentes, isto impuro aëre circumfusis, pallentes fere & cachectici evadunt, febribus-

D

que

9411

que , diarrhoeis , scorbuto , nostalgiæ &c. obnoxii .  
 Quis igitur non videt , quanta medico cuivis difficultas nascatur opem ferendi & adrepentes ejusmodi morbos antevertendi apud eos , qui tali elemento cinguntur ? Quapropter , in facienda expeditione , summæ fuerit necessitatis , quoquo fieri possit modo , salubrem in navibus procurare aërem . Quod ut efficerent , recentiori cumprimis ævo , omnem navigantes moverunt lapidem , sapientissimis quoque in consilium physicis advocatis . In optimis ad hunc usque diem inventis , antlia SUTONIS habetur , quam ideo , panaceæ instar , expeditionibus commendavi , quo etjam consilio ii , penes quos summum est imperium , in quovis eam posthac navigio comparari justerunt .

S. D. G.

F66

Geben bei Neu-Holz  
24. Ed. 22.-46